esse cupio, cuique multam salutem dices meo nomine tuis litteris, quas proxime missurus es. Puto enim tibi abunde convenire cum eo, quantum alii obnitantur. Scripsissem illi; sed nihil erat iusti argumenti. Huic etiam dicas Cœlium Calcagninum unum esse, qui amore et observantia in se nemini tota Italia cedat[o]. Vale diu incolumis. Ferrariæ, ex ædibus Cœlii Calcagnini, ipsis Kalendis[p] Augusti MDXXVI.

Iacobus Zieglerus Landavus.

Præstantissimo domino Ioachimo Vadiano, senatus et populi S. Galli consuli, domino et amico suo præcipuo.

a) „author-“. — b) „ægit“. — c) „succœdet“. — d) „Plynium“. — e) „exp-“. — f) „c“ für „t“. — g) „syd-“. — h) „concœpi“. — i) „Nanque“. — k) „recœpi“. — l) „paticus“. — m) „isthinc“. — n) „utrunque“. — o) „cœdat“. — p) „Cal-“.

[1]) Von *Jakob Ziegler,* Astronom und Geograph, geb. circa 1470 in Landau a. d. Isar, gest. 1549 zu Passau, sind fünf Briefe aus den Jahren 1526—1540 vorhanden; drei davon liegen in Bremen.

XII 274.

467.

Ulrich Zwingli[1]) an Vadian.

(Zürich. 1526) August 5.

Die Angelegenheiten der Appenzeller. Faber in Speier. Die Bündner gegen den Bischof. Der Kaiser sucht die Schweizer zu gewinnen.

Gratiam et pacem per Christum. Irremissam diligentiam tuam, clarissime vir, non exosculor modo, sed etiam veneror atque demiror. Lanius, qui legatione ad Abtzellanos functus est, prędicare[a] cum omnium civium tuorum, tum maxime tuam liberalitatem ac munificentiam pro dignitate non potest, bonus ac incorruptus Hercules vir. Capitur nunc consilium, quomodo sit cum Abtzellanis agendum, quibus oligarchi iam adperte imperant. Pęnitudo apud nostros prorsus nulla est propter quorundam pagorum repulsam. Berna fuit apud nos ac Basilea. Ex Spira[b] ante horas quatuor nuntia[c] habui, quod plerique principes nolunt Fabrum in suo consessu ac senatu[d] adsidere, quod hactenus fecerat, Perdinandi[e] scilicet a consiliis; similes habent labra lactucas. Id quoque cum cautione creditum est, quod tu quoque premes, nisi cum es apud tacitos: principes aliquot in hoc esse, ut, si Cęsareo mandato pergat urgere ac contristare evangelium Perdinandus[e], ipsis cum rebuspublicis conveniat; immo[f] speratur fœdus confore, si, ut dictum est, nihil quam sęviatur[g]. Cum Abtzellanis arbitror hoc agendum, ut non solum de sacramento interrogentur[h], sed etiam de evangelio, quo scilicet loco sint illud habituri aut quomodo defensuri. Est enim mihi spes, ubi comitia frequentiora fuerint, posterius hoc ex abundanti accessurum esse. Tu si posterius dissuadeas, cum datur, indica. Reddemus te atque alios amicos protinus certiores, ubi senatus super ea re decreverit, quo mature sciant omnia amici. Nam si honeste ad dictam posteriorem quęstionem respondebunt nostris, iam ea fama plurimum iuvabit negotium[c] evangelii. Nemo enim hactenus a nostris hac in re excussus aut requisitus est; maxime tamen apud vicinos vestros ac Durgoios ea fama proderit.

Rhęti[g] articulos puto 18 rogarunt ante dies decem aut duodecim, qui omnes episcopatui ruinam conciliabunt. Evangelistę istic[i] uxores ducunt impune. Cęsar magnis pollicitationibus nititur nos ad partes suas pertrahere. Quid futurum sit, brevi sciemus. Helvetii non satis sunt concordes. Vale ac salvum iube Augustinum, Zelium, Christianum, Sebastianum, omnes. Excuditur nunc responsio 3. ad Fabrum super libello mendacissimo. Murnerum olim statuimus pertinaciter contemnere. 5. Augusti. *H(uldricus) Zvinglius.*

Ioacimo Vadiano, Sanctogallensium consuli, domino suo cum primis colendo.

Herren *burger*meister *Joachim von Watt.*

a) „pre-“. — b) „Spyra“. — c) „c“ für „t“. — d) „ę“ für „e“. — e) Offenbar absichtliches Wortspiel. — f) „imo“. — g) „e“ für „ę“. — h) „interogentur“. — i) „isthic“.

[1]) Vgl. I, Brief 100. — Das Datum dieses Briefes lässt sich mit Sicherheit aus dem Inhalt ergänzen.

468.

XI 185.

Johannes Comander[1]) an Vadian.

Cur. (1526.) August 13.

Entschuldigung seines bisherigen Schweigens. Erinnerung an gemeinsamen Unterricht. Verschiedener Lebenslauf. Übergabe der Briefe Vadians an den Bürgermeister in Cur zur Benutzung bei dem bevorstehenden Bundestag. Politische Nachrichten. Pest.

Gratiam et pacem per Christum Iesum. Quod toties[a] tuæ Humanitatis insignisque Mansuetudinis literis appellati nunquam responderimus, propriæ inscitiæ pudore, non contemptu factum puta, præstantissime vir; reminiscens enim pristinæ conversationis nostræ, cum sub magistro quodam Simone[b] ante totos triginta annos prima rudimenta capiebamus, quam disparia studia impares nos reddiderunt[c] plus quam dies ac noctes. Tu quidem in virum egregium candidumque evasisti; ego vero in sordidum et ignavum, adeo ut non pauco rubore suffundar, quoties ad viros candidos scribere compellor. At non hæc sorti tuæ invidens, sed mei potius miserescens recenseo. Persuasum enim habeo. tantam esse tuam